

Mit. verb. Sax. N. 328.

DIACONOS TORGAVIENSES

ALIO VOCATOS

DESCRIBIT

SIMVLQVE

VIRVM

PRAECELLENTISSIMVM CONSVLTISSIMVM
DOCTISSIMVMQVE

D. CAROL. GOTTLOB
KOCHIVM

DEPOSITO

SYNDICI TORGAVIENSIS OFFICIO

AD CAPESSENDVM

ARCHIGRAMMATEI LIPSIENSIS

MVNVS

MENSE IVLIO MDCCLX.

HINC DISCEDENTEM

PIIS VOTIS PROSEQVITVR

M. IO. THEODORVS LINGKIVS *Torg.*

PATRIAE ARCHIDIACONVS

TORGAVIAE,

LITERIS RÜDELIANIS.

8

DIACONOS TORGAUENSIS

ALTO VOCALIS

DIACONUS

STIVARIE

VRVM

TRABE MENTIS & CONSTITUTIONIS

DOCTRINARUM

D. CAROL GOTTLOB

R. O. C. H. I. V. M.

EDIDIT

SYNDICUS TORGAUENSIS OFFICIO

ALTISSIMO

ARCHIDIAconi M. VALTEI LIPSIIENSIS

EDIDIT

VRVM

IN THEATRO

ALTISSIMO

M. DO. T. TORGAUENSIS

OFFICIO

VORWORT

LITTEris RADIIANTIS

ALTISSIMO



Tanta, tamque praeclara, ab eo, quo TIBI VIR CONSVL-
TISSIME PRVDENTISSIME DOCTISSIMEQVE, fautor, ami-
ce et compater multis mihi nominibus colende, in-
notui, tempore in me edidisti, benevolentiae et amicitiae docu-
menta id mihi iniungunt officii, vt gratum TIBIQVE addictissi-
mum animum, quavis opportuna occasione, publicis declarem
testimoniis. Quemadmodum igitur summos in iure vtroque
honores, quibus ante nouem annos fuisti condecoratus, scri-
pto qualicunque, in quo paradoxon quoddam Hieropsaltis ef-
fatum dilucidavi, pie TIBI gratulatus sum: ita etiam hoc tem-
pore, quo, pro meritorum TVORVM excellentia atque hinc or-
ta nominis celebritate, in illustriori loco, grauiori admotus es
muneri, iure meritoque animum induxi, gratulandi officium,
monumento luci publicae exponendo, pro virium mearum te-
nuitate, exequi. Summi Numinis prouidentia, sapientissima
omnium rerum gubernatrice, eo tandem, remota alia voca-
tione, res peruenit, vt, officio Syndici Torgauensis, quod
per septendecim annorum spatium, sub concatenatorum labo-
rum mole, et belli exitiosi molestiis, summa fide, dexteritate
et laude impleuisti, deposito, ad capeffendam Archigramma-
tei prouinciam, ab amplissimo Reipublicae Lipsiensis Senatu
TIBI demandatam, TE accingas. Haec muneris TVI commu-
tatio anfam mihi praebuit, cogitationem conuertendi ad Diaco-
nos Torgauenses, qui, inde a Reformationis tempore, vsque ad
nostram aetatem, ex hac vrbe aliorum vocati fuerunt. Munus
suum illi omnes acceptum retulerunt amplissimo Torgauensi-
um Senatu, cuius spectatissimum membrum haectenus fuisti, et
nonnullis eorum, respectu vel natiuitatis, vel officii, vel matri-

4

✠ ✠ ✠

monii, cum Lipsia, cui insignibus tuis dotibus in posterum deferuire cupis, quaedam intercessit coniunctio. De eorum igitur vita, secundum loci ordinem, ea, quae ad notitiam meam peruenerunt, quantum quidem paginae permittet angustia, pace tua, VIR CONSULTISSIME in medium proferam.

M. PETRVS HESSIVS

Archidiaconus Torgau. 1593. paullo post Concionator Aulicus Ducis Megapolitani in Gutzrow.

Matrem habuit *Esdram, Augustini Volkommeri*, Senatoris quondam Lipsiensis filiam, patrem vero *M. Petrum Hessium*, in pago quodam Westphaliae, cui nomen *Gilfer*, natum, qui variis in officio suo mutationibus fuit obnoxius. Namque 1557. in Xenodochio *D. Georgii Lipsiae* Pastorem egit, 1559. Diaconus in ecclesia *Nicolaitana* factus est, 1562. in oppido *Thomasbrück* Pastoris officium suscepit, 1564. Lipsiam iterum vocatus Diaconi, et deinceps etiam Archidiaconi in ecclesia *Thomana* munus adeptus est. Postquam 1589. fluctuante religionis statu, *Caluinistarum* quorundam machinationibus, cum *D. Selneccero* ex vrbe migrare iussus fuerat, *Frislandiam* petiit, vbi non solum *Concionator Aulicus*, sed et totius Comitatus *Visitator generalis ecclesiarum omnium* cum applausu salutatus fuit. Tandem 1600. in oppido *Mutzschen* munus Pastoris obiit, et *Lipsiae*, vbi, ad nuptias priuigni sui profectus, in febrim incidit acutam, quae ipsi mortem conciuuit.

1) Reliquit venerandus ille senex, qui ab omnibus laudum praeconiis ornatur, filiam, quae nupsit *M. Andreae Müllero*, Archidiacono *Pegauensi*, et tres filios, quorum duo muneri


1) Vide *Georg. Henr. Goetzii Elogia Germanorum quorundam Theologorum*, p. 15. sqq. *Io. Iac. Vogelii Annales Lips. f. 215. et 256. D. Georg. Weinrichii Conc. Funebr. T. I. p. 572.*

ecclesiastico praefecti sunt. Nam M. *Augustinus* Pastor in oppido Mūcheln, M. *Petrus* autem Archidiaconus Torgauiae fuit. Litteris hic dedit operam in illustri schola Prouinciali Portensi 2). De studiis eius Academicis nihil mihi constat. Anno 1593. post obitum M. *Hieronimi Niemanni*, concionem habuit Torgauiae, qua Patronorum fauorem sibi ita conciliauit, vt inter Diaconos ciuitatis ipsi locum tribuerent. Quum autem non nisi Archidiaconi munus suscipere vellet, accedentibus ciuium, qui ipsi prae caeteris fauebant, rogationibus, eodem anno d. 14. Febr. Archidiaconus fuit constitutus, quapropter supellectilem suam ex Frisiae vrbe Embden Torgauiam transportari curauit 3). Collegas inuenit M. *Io. Vlricum* et M. *Georg. Wunschaldum*, qui, partim ob applausus praerogatiuam, partim ob doctrinae discrepantiam, litem ipsi mouerunt. Aura populari ipsum gauisum esse, exinde inter alia elucescit, quod ciues quidam ea, quae ad victum eius pertinerent, ipsi subministrare voluerint, vsque dum salario suo, secundum temporis ordinem, posset frui. Ad doctrinam eius quod spectat, erroneam *Sam. Huberi* opinionem, de vniuersali omnium hominum ad vitam aeternam electione, in suggesto sacro proposuit, quam, licet ab Ephoro suo *Tobia Beutbero* ea de causa monitus, vehementi pertinacia defendit. Propterea res delata est ad Consistorium Vitembergense, coram quo et 1594. et 1595. comparere debuit. Nihilominus ta-

A 3

men

- 2) Teste *Iustino Bertuchio* in Chron. Port. p. 151. ad A. 1577. d. 5. Nou. PETRVS HESSE opt. Art. et Philos. Magister, Diaconus quondam Torg. iam Concionator aulicus Ducis Megapolitani in Güstrow.
- 3) In Rationibus aerarii ecclesiastici 1592. expresse legitur: VIII. ff. an. 20. Thal. M. Petro Hessaeo dem dieses Tages angenommenen Diacono, seinen Supellectilem damit von Embden aus Ostfriesland gen Torgau zu schaffen d. 14. Febr. 1593.



men in errore suo perstitit. Prima enim vice redux factus ordinariam lectionem, Psalmum XXII. omisit, atque ex Psalmo C. verba: *a Deo, et non a nobis ipsis facti sumus eius populus, eiusque pascui oves*, ad confirmandam suam sententiam adhibere annixus est. Et quum altera vice redierit, Ephorus, et collega *Io. Ulricus* in Senatus confessu testati sunt, quod ille confessus fuerit, et adhuc confiteretur, se credere, omnes homines, etiam eos, qui non credunt, a Deo ad vitam aeternam electos esse 4). Annumerandus igitur est paucis *Sim. Huberi* asseclis 5), ubi quidem obseruari meretur, quod *Huberus* eo ipso anno, quo *Hessius* huc venit, cum *D. Hunnio* Torgauiam profectus sit, in quo itinere, vt *Walchius* l. c. p. 189. refert, de sententia ab *Hubero* adoptata inter se disceptarunt. Non immerito autem idem de *Hessio* ferendum est iudicium, quod de *Hubero* ipso ita protulit *Io. Laur. Mosbemi*: 6) *Censent bodie grauissimi doctores, virum bonum, nec indoctum, notione recepta vocabulorum eligere et destinare mutanda, magis peccasse, quam re ipsa, verbisque inusitatis scitum hoc, quod omnes*

4) Protocollum Senator d. 14. Maii 1595. haec continet verba: *Tobias Beuther und M. Io. Ulrich referiren, was sie im Consistorio verrichtet, und dass M. Peter gestanden, und noch gestünde, dass alles, was Mensch hiesse, und Mensch wäre, von Gott erwehlet wäre, und dass auch die, so nicht glaubeten, von Gott erwehlet wären.*


5) Fuerunt illi imprimis filius eius *Io. Rudolphus*, qui, ob sententiae patriae defensionem, ex terris Megapolitanis pulsus est, *M. Laur. Fabricius* Prof. L. Ebr. Vitemb. *Caspar Hirschius* ex terris Würtembergensibus ideo proscriptus, *D. Io. Keckius* Iureconsultus Hallensis, qui *Hubero* scriptis fuit patrocinator. Confer *D. Io. Georg. Walchium* in *Religions Streit*. T. II. p. 205. ubi plura hoc de certamine habentur, quod ample etiam discussum legitur in *Consil. Vitemb.* T. I. f. 537. - 656.

6) In *Institut. Hist. Christ. Rec.* p. 210

*probant, enuntiasse: Deus paterno amore omnes homines com-
 plectitur, omnesque, si fieri possit, coelesti gloria beare cupit.*
 Interim tamen *Hessius*, ob inflexibilem in retinendis loquendi
 formulis, ab exemplo sanorum verborum recedentibus, obsti-
 nationem, similia cum *Hubero* expertus est fata. *Huberus* dignita-
 te Professoris Theologiae Vitemb. exuebatur, et quidem post
 conuentum quendam Theologorum Torgauiae peractum. Nam
 1594. d. 26. Aug. partes litigantes Torgauiae se sistere iube-
 bantur, vbi Theologi quidam Lipsienses et Ienenses, *Schilte-
 rus*, *Harwartus*, *Mylius*, *Fischerus* conuenerant, quibus se
 adiungebant *Tob. Beutberus*, Superint. Torg. et Concionator
 Aulicus *David Meisius*. Hi coniunctis viribus, per sex dierum
 spatium, id sedulo agebant, vt *Huberum* erroris conuincerent,
 et in rectam reducerent viam. Quia autem ille horum Theo-
 logorum monitionibus aurem praebere, et erroneo suo dog-
 mati nuntium mittere prorsus nolebat, sed potius sententiae
 suae pertinaciter insistebat, custodia Torgauiae, per aliquot
 menses, detinebatur, quibus peractis, decreto Principis 1595.
 d. 18. Ian. confirmato, Professoria dignitate priuabatur. Po-
 stea Torgauia Vitembergam reuersus est, vnde autem, ob vl-
 teriorem erroris sui propagationem, Principis iussu cedere
 fuit coactus 7). Idem accidit *Hessio* nostro, qui, quum *Hu-
 beri* partibus obstinate inhaereret, et a disseminando eius errore
 desistere nollet, M. Iulio 1595. Principis mandato, ad deponen-
 dum Archidiaconi officium, et ad urbem Torgauiae relin-
 quendam adigebatur. Poitea tamen alio loco muneri cuidam
 ecclesiastico, eique insigniori praefectus fuit, siquidem a *Bertu-
 chio* in libro supra citato nominatur Concionator Aulicus Ducis
 Megapolit. in Güstrow, quo honoris titulo eum et a *Weinri-
 chio* in vitae patris descriptione insignitum reperimus.

D. 10.

7) Omnia haec enarrat laud. *Walchius* l. c. p. 194. sq.




D. IO. DAVID SCHWERDTNERVS Lips.
Archid. Torg. 1686. - 1693. deinde Superint. Pirnens. 1)

Natus est Lipsiae d. 23. Maii 1658. patre quidem L. *Daui-
 de Schwerdtnero*, Craza-Bohemo, Ethices primum in Academia
 Lipsiensi Professore, Ascaniensi deinceps sacrorum Antistite,
 matre autem *Anna Margaretha Crusia*, Zittaiensi. In vitae
 suae octennio patre orbatus cum matre Zittaiiam commigra-
 uit, vbi prima studiorum iecit fundamenta. Ao. 1676. Lipsi-
 am se contulit, vbi D. *Schertzeri* hospitio et conuictu, per plu-
 res annos, vsus est, id quod ipsi fuit honori et emolumento.
 Primam Philosophiae lauream 1678. 2) Lipsiae adeptus, paul-
 lo post 1680. ad summum in Philosophia gradum pertendit,
 et postquam variis disputationibus et scholis eruditionem suam
 et diligentiam comprobauerat, Baccalaureus Theologiae 1683.
 renunciatus, et, secundum D. *Sam. Bened. Carpzoum* 3), Facul-
 tis Philosophicae adscriptus est Assessoribus. Lipsiae quidem,
 in eligendo nouo verbi diuini ministro, locus ipsi inter alios
 repetita vice fuit tributus, sed diuini Numinis prouidentiae
 ministerio eius alibi vti placuit. Namque, post decennium in
 Academia Lipsiensi exactum, M. *Georg. Frid. Petzoldo*, Archi-
 diacono Torgau. 1686. successit. Eodem anno d. 28. Febr.
 connubio sibi iunxit virginem *Ioannam Magdalenam*, filiam
Godofr. Dietzmanni, Praetoris ciuitatis Torgau. et Pharma-
 copolae percelebris, ex qua octo suscepit liberos, quorum
 tres duntaxat parenti fuerunt superstites, nempe: vnica filia,
 Io-

1) Vita eius habetur in b. D. *Christ. Frid. Wilischii* *Memoriis Su-
 perint. Pirnens. 1712. 8. editis*, in M. *Mich. Ranfftii* *Leben
 und Schrifften einiger Sächsl. Gottesgelehrten* p. 1160. - 1176.
 et in *Conc. Funebri*, a M. *Io. Iunghansen* *Archid. Pirn. ty-
 pis euulgata.*

2) Vide *Iac. Thomasi* *Progr.* p. 693.

3) In *Lance Saturae* Lipsi. 1705. p. 693.



Ioanna Elisabetta, quae nuptias celebrauit 1714. d. 29. Maii cum *D. Sigism. Schmiedero*, Medicinae Practico Torgau. filiique duo: *Io. David*, vtriusque tunc Iuris studiosus, et *Io. Henricus*, eo tempore bonarum artium cultor in schola Pirnensi. Concionibus Torgauiae habitis apud Principes quoque eximiam sibi *Schwerdtnerus* peperit gratiam, et quum, ob egregias dotes, in aula Electoris IOANNIS GEORGII magna nominis floreret celebritate, 1692. factum est, vt Hertzbergenfium 4), et paullo post Rochlicensium ecclesiarum Ephorus denominaretur. Sed neutrum munus iniit, post obitum *D. Iob. Mich. Strauffii*, Superint. Pirnensis, speciali Electoris mandato, in eius locum 1693. successus. Torgauia Pirnam contendit d. 27. April. 1693. 5). Sub ipsis noui muneris auspiciis, Electori Io. GEORGIO IV. militatum tunc abituro a concionibus castrensibus esse iubebatur. Itinere feliciter confecto, Doctor Theologiae in Academia Vitembergensi renuntiatus, et a celeberrimo *D. Sam. Bened. Carpouio*, ad munus suum solemniter introductus est 6). Discessit ille ex hac vita 1711. d. 8. Octobr. post dextri brachii paralyfin, quae in itinere, officii causa, instituto ipsum adorta est, et mox gangraenam, immo sphacelum secum traxit, ita, vt dextrae amputatio suscipi debuerit, cuius autem dolores, licet intensissimos, intrepida mente et immutata facie, ad omnium ad-

B

mi-

4) In Protoc. Senator. Torgau. 1692. f. 201. expresse vocatur: *designirter Superintendent zu Hertzberg.*

5) Extant in eius abito versus quidam forma patente, inscripti: *Vehiculum Iehouae, quod Io. DAV. SCHWERDTNERVM Theol. SS. Doctorem celebratissimum, Torga Pirnam portabat, quod comitari tenebatur Io. CHRIST. BVCKIUS MDCXCIII. V. Cal. Maias.*

6) Concio eo fine recitata legitur in eius *Lance Saturae* p. 751.



mirationem, sustinuit. Scripta *Schwerdtneri* 7), in quibus variae pertractantur controuersiae, ingentem spirant zelum, qui verbis interdum acerbioribus proditus maxima aduersariorum odia ipsi concitauit, multasque creauit molestias, interdum cum haud leui periculo coniunctas, quas tamen omnes feliciter fuit eluctatus.

M. IOANNES BVCHNERVS

*Diac. II. Torgau. 1529. et ab ao. 1539. Superintendens
Ossitiensis 1).*

Patria eius fuit Geisa, in Fanguonia s. Buchau, regione, inter Franconiam et Hassiam, sita. Lucem ibi aspexit 1502. d. 26. Ian. oriundus ex familia, insignita alias nomine *Hellerorum*, cuius loco, secundum illius temporis consuetudinem, *Buchneri* denominationem, a loco natiuitatis arcessitam, sibi imponi passus est. Vitembergae, vbi studiorum causa aliquod temporis degit, diuum *Lutherum* nactus est fautorem et amicum, cuius consiliis adiutus sanctiori disciplinae sedulam nauauit operam, ita, vt suasu *Lutheri*, Diaconus Iesnensis ao. 1525. constitueretur; quo facto, in obeundis doctoris sacri muniis eam adhibuit sedulitatem, quae ipsi Diaconi munus

7) Catalogum eorum exhibet laudatus *Ranftius* l. c. p. 1168. sqq. et Cl. DIETMANNVS *in der Sächs. Priest.* T. I. p. 1056. vbi tamen obseruandum mihi venit, quod concio sub titulo: *Besser Ruhm vor Gott*, Torgae 1693. typis exscripta, quam hic pro valedictoria minus recte habet, Dresdae, 1592. post 21. Trin. in templo Arcis habita fuerit. Addenda est concio, quam in funus *gn. Christianae*, ex gente *Olearia* oriundae, D. *Christ. Hofkuntzii* Superint. Torgau. coniugis, ex Ruth I. 16. et Phil. III. 8. d. 25. Mart. 1688. in fol. prodire *Schwerdtnerus* iussit.

8) Vitam eius delineauit M. Io. Gottl. Frenckel, in *Diptychis Ossitiensibus* p. 1. sqq.

aus Torgaviae administrandum 1527. 2) conciliauit. Respe-
ctu loci, quem inter Diaconos hic obtinuit, notandum est,
eum in Rationibus aerarii ecclesiastici ab ao. 1529. vsque ad
1535. vt Diaconum II. ab anno autem 1536. vsque ad 1539. vt
Diaconum III. commemorari. Ratio rei haec est. A refor-
mationis initio, vsque ad 1535. duo tantum Torgaviae extite-
runt Diaconi, quorum vnus ab ao. 1529. *Laur. Schbroeterus*,
alter noster fuit *Buchnerus*. Post visitationem autem secun-
dam 1534. institutam, Diaconorum numerus auctus fuit, et
quia M. *Balthas. Arnoldus*, qui a coetus Pontificii commu-
nionem ad Lutheranorum castra transiit, et, ab incunabulis
statim repurgatae religionis, verbum Dei, per aliquot tempus,
pure docuit, Diaconi primi locum, ex voluntate Patrono-
rum, occupauerat, *Buchnerus* locum secundum cum tertio com-
mutare necesse habuit. Hoc autem ipsi haud fuit dedecori, si-
quidem ab Electore IOANNE FRIDERICO, serenissimaque eius
coniuge SIBYLLA in tanto habitus est honore, vt ipsum in Con-
cionatorem Aulicum, et confessionarium sibi eligerent, atque,
ob insignia eius merita, muneribus ornarent 3). Amore et
fauore illum etiam complexi sunt Patroni, quippe qui circa
eius abitum, vbi, pro collatis in se beneficiis, in confesso am-
plissimi Senatus, vigilia Leonhardi 1539. gratias *Buchnerus*
ageret decentissimas, diligentiam eius, in muneris functione
adhibitam, laudibus praedicarunt, seque ipsi, vt ciui suo, suisque

B 2

quae-

- 2) In Protoc. Senator. 1539. Vigilia Leonhardi asseritur, eum trede-
cim annos Diaconum hic egisse. Quia autem in Rationibus aerar.
Eccl. ao 1526. nomen eius non occurrit, temporis rationem
aliter inire haud potui.
- 3) In Rationibus aerar. eccl. 1538. notatum legitur: X. ff. XXX. gl.
*Her Ioh. Buchner Caplan auf Befehl U. G. H. zu Erkauffung
eines Hauses gegeben. Domus haec sita fuit in platea, Enaten-
Gasse dicta.*



quaeuis beneuolae mentis specimina omni occasione exhibituros esse polliciti fuerunt. A Megalandro D. *Lutbero* magni quoque noster aestimabatur, quando quidem auctor ille suaorque Offitiensibus extitit, vt *Buchnero*, ad perficiendum reformationis opus, Ephori munus concrederent, id quod dicto anno factum est. Postquam Magistri titulum 1542. Vitembergae sibi comparauerat, ao. 1551. eodem loco Repetitionem A. C. a *Melanchthone* confectam, cum pluribus Theologis, subscriptione muniuit. In conseruanda doctrinae puritate, et in promouenda sanctitate vitae omne studium omnemque operam collocauit, quapropter in Programmate funebri in mortem filiae suae *Annae*, ab Academia Lipsiensi celebratur: *Vir pietate, et doctrina praestans, praeco verbi diuini vigilantissimus, inque omnibus partibus sui muneris ecclesiastici constantissimus.* Hac nominis gloria ornatus, vita defunctus est ao. 1564. Ad coniugium eius quod attinet, 1527. d. 18. Maii, tori sociam sibi adiunxit nobilem virginem, *Catharinam de Zeschau*, Dominam Sitzerodae, quae varios ipsi enixa est liberos, e quibus notari merentur: *Anna*, quam M. *Abrab. Tittel* Diac. Lips. postea Archidiaconus ad D. Nicolai 1553 in matrimonium duxit, *Maria*, cum qua M. *Blas. Naumann*, Ludimoderator primum Offitiensis, Bornensium deinceps ecclesiarum Ephorus, connubiale foedus eodem iniit anno, *Elias*, Diac. et Archid. Rochlicensis, demum Pastor Cnansteinensis, cuius posteros Cl. *Dietmannus* l. c. p. 821. in tabula exhibuit.

M. IOANNES VLKICVS *Vitemberg.*

Diac. Il. Torgau. vsque ad 1595. posthac Pastor Dommitiensis et ab ao. 1600. Sacrorum apud Iesnens

Antistes 1).

In


1) Vita eius ab ipso d. 10. Oct. 1576. in chartam coniecta reperitur in Albo doctorum ecclesiasticorum Vitembergae ordinatorum; sed ibi, quod miror, neque parentes, neque dies aut annus natali-

In vitae suae delineatione Vitembergam appellat patriam, atque de semet ipso testatur, quod, positus in patria litterarum rudimentis, publicas frequentauerit lectiones, et D. *Sebast. Theodoricum* per biennium priuatim audiuerit, quod in Lusatia inferiori, apud Cancellarium Praesidis Lubenensis, filiis eius instituendis dederit operam, quod officium Supremi, ut vocarunt, in schola Vitembergensi, per quadriennium et semestrem, gesserit, et deinceps, ex amplissimi Senatus Torgau. decreto, Diaconi III. officium 1576. fuerit consequutus 2). Tertio post anno Diaconus II. euasit, nunquam autem, uti *Dietmannus* l. c. T. IV. p. 751. vult, Archidiaconus factus est. Ao. 1583. feria prima Pentecostes, e suggesto sacro, in templo b. Mariae recens fabricato, primum fecit verba ad populum, sicuti M. *Casp. Heidenreichio*, Ephoro suo, 1586. extincto, concionem funebrem habuit. Cum Superintendente Dn. *Tob. Beuthero* ab ao. 1592. litibus fuit distentus, quibus, ut ex actis publicis perspexi, effecit, ut 1595. d. 10. Oct. Principis iussu, hinc dimitteretur. Ao. 1598. in oppido Domnitzsch, ut Pastor ecclesiae receptus fuit, quod tamen munus, iterum ob quaedam litigia, paullo post deponere debuit. Nihilominus fixam tandem obtinuit sedem, siquidem 1599. ad obeundum Pastoris et Superintendentis munus Iessenam vocatus est. Hunc enim eundem fuisse, qui antea Torgauiae ut Diaconus verbo diuino praedicando operam suam commodauerat, exinde diluci-

B 3

tius indicantur. Quaedam etiam huc pertinentia collegit laud. *DIETMANNVS in der Sächs. Priest. T. IV. p. 350. sqq.* ubi autem de eo nulla prorsus iniicitur mentio, quod hic, et in oppido Domnitzsch verbum Dei docuerit, cuius tamen rei luculentum afferam testimonium.

2) In Ration. aerar. eccl. 1576. ita: I. ff. XXXIX. gl. M. *Ioh. Ulrichs* Supellectilem von Wittenberg anhero zu führen, LVIII. gl. ihn u. sein Weib her zu bringen.



de apparet, quod eius filius *Ioannes*, Pastor Neidensteinensis, in vitae suae descriptione, quam Albo Vitembergensi d. 23. Aug. 1601. inseruit, a loco natiuitatis Torgensem se nominauerit, quod certo est indicio, patrem eius, quem Superintendentis Iesnensis nomine insigniuit, anno, quo ipse natus est, 1577. Torgauiae sacro functum esse officio, quemadmodum etiam temporis ratio per omnia sibi constat. Quum *Vlricus* Torgauiae adhuc viueret, annotante D. *Sommero* in Diario suo M^{sto}, peste 1583. est correptus, qua feliciter superata, prospera deinde usus est valetudine, ideoque ad seros vitam protraxit annos. Ab anno enim aetatis 70. M. *Oertelii*, M. *Innichbenboeferi*, et M. *Grosseri* in officio ipsi substitutorum opera adiutus, non nisi nonagenarius d. 13. Ian. 1634. exspirauit. Praeter filium iam commemoratum, *Ioannem*, qui in matrimonii societatem sibi 1602. adsciuit virginem *Benignam*, M. *Casp. Biesigkii* Past. Sweinic. filiam, tribus gauisus est filiabus, nimirum *Margaretha*, quae nuptui data est M. *Balthaf. Theodoro*, Past. Stasfurth. *Ursula*, *Iosepho Michaeli*, Diac. Iesn. 1603. elocata, et *Sibylla*, quae maritum 1615. nacta est *Mart. Zobelium*, mercatorem Numburgensem.

M. SIGISMVNDVS BADEHORNIVS *Haynens.*
e Diac. II. Torgau. ecclesiarum *Grimmensium* Ephorus 1621. 1)


Procreatus fuit 1585. d. 21. Maii, in ciuitate Haynensi, ex honestis parentibus, patre *Ioanne*, ciue et panni negotiatore, ma-

1) Vitae eius curriculum, d. 18. Sept. 1611. scriptum, extat in Albo Vitembergensi. Pauca quaedam de eo etiam dixit Cl. M. *F. enr. Aug. Schumacherus* in *Memor. Antist. Sacr. Grim.* 1720. euulgatis, vbi autem *Badehornius* minus accurate nominatur Archidiaconus. Licet enim ille, vt gener Superint. *Beutheri*, Ephoriae adiunctus, per aliquod temporis, fuerit, nunquam tamen ad Archidiaconi munus peruenit, quippe quod eius tempore gessit M. *Io. Richterius*.

matre autem *Scholastica*, *Simonis Dietzii* filia. Lactis in schola patria litterarum et pietatis fundamentis, 1600. Lipsiam adiit, ubi alumnis scholae Thomanae adscribebatur. Ao. 1605. in Album Academiae Lips. relatus, post triennium prima Philosophiae laurea; et sequenti anno summis in Philosophia ornatus honoribus, stipendii *Badeborniani*, quo praeter alia gaudebat, beneficio, linguarum et disciplinarum studia tam felici continuavit successu, ut ipsi Professio L. Ebr. 1610. demandaretur. Eruditionis eius fama ad amplissimum quoque Senatum Torgauensem peruenit, cuius decreto 1611. ecclesiae huius Diaconus III. vocatus, et ad hoc munus d. 18. Sept. rita Apostolico fuit ordinatus. Ao. 1618. ad locum Diaconorum secundum ascendit, in quo autem non diu substitit. Nam 1621. ad altiorem dignitatem evehebatur, quum Pastor et Superintendens apud Grimmeneses constitueretur. Ad arduum hocce munus rite exequendum Torgaviae iam praeparatus est, dum focero suo, *Tob. Beutbero*, Ephoro Torgau. in muniis eius, per septem annos, diligentem se praebuit adiutorem 2). Neque huic tamen muneri per longum tempus praeesse potuit, siquidem 1626. non, ut *Gleichius* l. c. habet, d. 5. sed d. 9. Iul. cum morte commutavit vitam. Vxor eius *Maria* vnica fuit filia laudati *Beutberi*, qui in matrimonio habuit *Mariam*, *Paul. Iani*, Senatoris Liebenwerdensis filiam. De quadam *Badebornii* nostri filia annotatum legi, quod connubio iuncta fuerit *M. Angero*, Diacono Wurcenensi, antea Past. Reichenbach. Scriptum, quo ille inclaruit, titulum prae se fert: *Armatura Davidica*, quae conciones decem in Psalmum XX. continet, et Lips. 1620. 4. prodiit.

D. Io.

2) Inspice D. Io. Andr. *Gleichii* Annal. Eccl. Tom. I. p. 386.



D. IO. ANDREAS GLEICHIVS, *Geran.*
Diac. II. Torgau. 1690. post Concionator Aulae Regio-Ele-
ctoralis Saxonicae, 1696. 1).

In lucem editus est Gerae, d. 30. Sept. 1666. Parentes eius erant *Andreas Gleichius*, Ruthenei, quod Gerae floret, Collega, et chori musici Director, et *Anna Dorothea*, gente *Auerbachia*. Ao. aetatis 18. ex patrio Gymnasio cum laude dimissus, primum in Lipsiensem, et paullo post, fortuna ita iubente, in Vitembergensem sese contulit Academiam, ubi, postquam 1688. in Magistrorum legentium numerum adscitus, et ex Academia Ienensi, quam ad tempus aliquod visitauerat, redux factus fuerat, variis dissertationibus, multiinguae eruditionis apparatu elaboratis, magnam nominis sibi conciliavit famam. Occasio, qua ipse Diaconi Torgau. munus consequutus est, singularia diuinae prouidentiae prodit vestigia. Flagrabat noster desiderio aulam Electoris IO. GEORGII III. qui tunc inter Torgauiae pomoria laetissimo complexu fuerat receptus, conspiciendi; hinc ad ciuitatem, exoptatissimo serenissimi Ducis aduentu exhilaratam, alacris contendit. Hic D. *Iano* et D. *Zach. Doeringio*, Consulibus Torg. innotescens, suggestum conscendere iussus est, quapropter d. 4. Ian. 1690. in templo monasterii verba pro concione fecit, et quidem tanto omnium applausu, vt, concione *δοκιμοσιχη*, Festo Epiphan. d. 6. Ian. ipsi iniuncta, ille prae caeteris candidatis, quorum XXX. erant, Diaconus III. eli-

1) Vitam suam ipse descripsit in *Annal. Eccl. T. III. p. 779. - 824.* Illa etiam inuenitur in *M. Mich. Ranfftii Leben und Schriften Sächf. Theologen*, p. 289. et in *Conc. Funebri*, quam S. R. D. *Marpergerus* ad I. Tim. I. 15. - 17. publicae luci exposuit, e quibus notabilia, et quae Torgauiam praesertim respiciunt, delibabo.

eligeretur, cuius rei nuntium Vitembergae accepit 2). Torgauiam d. 24. Ian. proficiscenti, praesentissimum vitae periculum, ab equi, quo vehebatur, in lacum niue et glacie retum prolapsu, oriundum ipsi circa Pratham imminebat, quo tamen, Deo adiuuante, feliciter emerfit 3). Omnibus rite peractis, aduentus eius Torgauiae d. 28. Febr. contingebat, post quem die Martis d. 5 Mart. munus suum concione in Ier. I. 5. typis deinde exscripta 4) auspicatus est. Coeperat *Gleichii* nomen ciuitate egredi, et in exterorum ora exierat. Mox enim a Pirnensibus Pastor et Superintendens, mox a Luneburgicis ad aedem D. Ioannis Pastor, per ciuitatis Consulem et Syndicum, qui ipsum Torgauiae audiuerant, multo desiderabatur studio. Permansit tamen Torgauiae, vbi Diaconi II. locum 1593. adeptus est, vsque dum 1696. Dresdam, Concionator Aulicus vocaretur. Ecclesiae Torgau. Festo Annunt. Mar. d. 25. Mart. vltimum dicebat vale, et postero die iter versus Dresdam ingrediebatur. In itinere, quod militiae causa in Hungariam eo ipso anno suscipiebatur, summum Principem comitatus est, cuius itineris memorabilia ipse descripsit l. c. p. 793. - 799. Supremi Aulae Concionatoris vicibus quater functus est, vnde meritis suis sane egregiis eiusmodi adiecit cumulum, vt eam ob causam supremi Senatus ecclesiastici Assessor fuerit creatus. In hoc honorum fastigio collocatus, primo


C

mo

2) Haec intuitus M. ERN. FLOR. RIVINVS, in Orat. Parent. *GLEICHII* exclamat: *Quam mira facta! quam abscondita Dei decreta! qui fortunae Torgauensium spectator venerat, discedens fortunatus ipse inter ciues posthaec haberi sperabat.*

3) Vide eius Annal. Eccl. T. III. p. 787.

4) Alia, quae Torgauiae prelo subiecit, scripta recensuit ipse l. c. p. 790. sqq. quibus addenda est concio, incendii cuiusdam occasione d. 10. Iul. 1692. ex Amos VII. 4. 5. 6. habita, quae Dresdae cum alia eiusdem argumenti 1701. lucem aspexit.



mo Licentiati, post Doctoris Theologiae axioma, d. 6. et 8. Sept. 1724. Vitembergae sibi impertiri curavit. Varia multisque cum praerogatiuis coniuncta officia ipsi fuerunt delata. Nam hinc illinc superiorum cuiusuis loci suasu atque iussu excitatus fuit, mox Superintendens et Principi Abbatissae a consiliis sacris vocatus Quedlinburgum abire; mox Pastor Primarius Goerlitium petere; Sacrorum Praeful Altenburgicos adire; aut ad D. Iacobi aedem Pastor Hamburgi vitam degerere. At enim vero a Dresda, quam maxime in deliciis habebat, nullis licet splendidissimis pollicitationibus auelli potuit, sed omnia spernens emolumenta, sua semper sorte contentus vixit. Validis corporis viribus praeditus, gratiae diuinae auxilio, permultos prae reliquis sustinuit labores, vbi illud inprimis ipsi curae cordique fuit, vt omnem in doctrina pariter atque in ceremoniis immutationem cane peius et angue fugeret. M. Theod. Euseb. Simon in Panegyrico, Gleichio in illustri Gymnasio Silusiaci - Henneberg. dicto confirmat, eum fuisse Theologum sui nominis, comitate 5) nempe Ioumem, grauitate Andream, et candore, s. animo candido, recto apertoque Gleichium. Post septem annorum coelibatum, ad matrimonium ineundum animum appulit, et d. 19. Apr. 1697. nuptias celebrauit cum virgine Christina Margaretha, Georg. Greenii, Poëseos quondam et Histor. in Aacadem. Vitemb. Professoris P. post Serenissimo Electori Saxoniae a consiliis ecclesiarum, confessionibus et concionibus aulicis supremi designati, filia natu minima, e qua a nono coniugii anno, quatuor quidem carissima vidit pignora, sed iis omnibus, Deo vitae ac mortis Domino ita volente, orbatus fuit. Licet autem Gleichius

5) S. R. D. Wernsdorffius in Programmate, quo ad orationem eius auspicalem inuitauit, hoc ipsum ornauit elogio: *Est natura sua humanus comis, affabilis, ac prope supra modum officiosus.*

cbius noster sine liberis 1734. d. i. Aug. ex vita discesserit, multos tamen libros 6) erudito orbi et ecclesiae reliquit, quibus immortale sibi comparavit nomen. Reliquiae D. *Lutheri*, quas ipse possedit, a *Lutheri* vidua, Torgaviae demortua, D. *Tüntzelio* Superint. Torgau. per manus traditae, ab hoc ad generum eius *Greenium* transierunt, a quo illae ad *Gleichium* venerunt, in cuius familia hodiernum sine dubio asseruantur.

D. CHRISTIANVS WEISIVS *Cygnaeus*.

Diac. II. Torgau. 1696. post tres annos Pastor Lipsiens. ad aedem D. Thomae 1).


Natus est d. 10. Oct. 1611. *Cygnae*, patre *Christiano*, ciue et mercatore *Zwickau*ensi, matre vero *Christina*, D. *Barthol. Stepneri*, Superint. *Zwickau*. relicta filia. Nondum trimulus patrem amisit, quo facto mater, morbo animi et corporis, quocum post mariti obitum ipsi conflictandum fuerat, superato, *Cygnae* cum filio *Dresdam* 1679. discessit, vbi a M. *Bernh. Schmidio*, Archid. *Dresd.* ad aedem S. crucis, qui sororem eius duxerat vxorem, magna benignitate excepti sunt. Anno sequenti, ob diram pestilentiae luem, primum ad cognatum in pago prope *Dresdam*, deinde ad agnatum in Ducatu *Altenburgico* perfugerunt, vnde, post multa discrimina, in aedes *Schmidianas* reuersi sunt. *Weisus* noster, qui *Io. Gelenii* institutione fruebatur, a *Schmidio* interrogatus, ad quodnam studiorum genus propensus esset, promte ei respondit: ad studium theologicum. Corporis sui tenuitate ipsi obiecta,

C 2

sta-

6) Tituli eorum adducuntur in *Gleichii* Annal. Eccl. T. III. p. 803. 823. in *Ranfftii* Leben und Schrifften Sächf. Theolog. p. 302. 313.


1) Vita eius occurrit in *Actis Histor. Eccl.* T. II. p. 115. - 134. vbi Programma Funebre insertum legitur, et in laud. *Ranfftio* l. c. p. 1268. - 1279.



statim regressit: fortitudinem Christi in infirmitate perfici, Pertinet etiam ille ad Theologos Deo in utero consecratos, de quibus M. Sam. Theodor. Schmidius, Archidiac. Torgau. superiori anno coelitibus adscriptus, quem, quoad vixit, ut susceptorem et collegam omni amoris et reuerentiae cultu prosequutus sum, Dissertationem Lips. 1707. publice defensam prodire iussit. Postquam mater eius, ad secunda vota transgressa, M. Io. Wolfg. Martio Past. Fischbach. cum quo postea Necknitium commigrauit, nupta erat, Lipsiam se noster 1688. contulit, vbi 1692. Magister Philos. renunciatus disputationibus et recitationibus priuatis eruditionis suae edidit specimina. Ao. 1696. ad habendam, die Veneris post Pascha, concionem, a Senatu Torgauensi aduocabatur, quam d. 17. Maii insequuta est concio *δοκιμαστική*. Munus Diac. II. ipsi mox mandatum d. 2. Iun. Fer. II. Pentec. sub diuinis auspiciis aggressus est. Concionandum ipsi saepius fuit Torgau. coram Augustissima Regina CHRISTIANA EBERHARDINA, quae plura eaque eximia gratiae in nostrum, tum Torgauiae commorantem, tum Lipsiam translatum, extare voluit testimonia. Praedicat ille in vita MSta insignia Torgauensium in se beneficia, et optat, ut Deus vota, quae pro iis et omni posteritate ex Phil. I. 9. - 12. in vltima ibidem d. 17. Sept. 1699. habita concione nuncupauit, rata habere velit. Tertio ante discessum anno, controuersia ipsi fuit cum Ephoro suo D. Hoffkuntzio, ob verba nonnulla, erga hominem quendam, de vitando periurio admonendum, adhibita. Ea, secundum aliorum testimonia, sic se habuerunt: se velle Deum orare, ut perperam et nequiter iuraturus, gratiae suae auxilia, ad resipiscentiam necessaria, ex iusto iudicio subtrahat; ex ipsius autem confessione per litteras ad Ephorum edita, ita fuerunt comparata: se, si ille sciens volensque periurium committeret, neque futuro tempore verum publice

con-

confiteretur, a Deo precaturum esse, vt cum ipso, non secundum gratiam, sed secundum iustitiam agat; sicut etiam ibidem hanc subiunxit distinctionem: Contra periuros orandum esse, non ad auferendam conuersionis gratiam, sed ad inferendam hypothetice poenam. Attamen coram Consistorio Vitembergensi, enunciata sua, quae aliis offensionem fuerant, d. 7. Octobr. 1696. abiecit, et a proferendis eiusmodi loquutionibus se abstinere velle, promisit. Ex amplissimi Senatus Lipsiensis decreto, *Weisius* noster 1699. Diaconus et Concionator vespert. in ecclesia Nicolaitana, 1708. medius Diaconus, post duos annos, Archidiaconus, et 1714. Pastor S. Thomae factus est. Ao. 1711. Licentiatus, et 1724. Doctor Theologiae fuit creatus. In recitandis orationibus sacris, per longum temporis interuallum, casu quodam mirabili impediabatur. Amisit nimirum, sub anni 1715. initium, vocem illam claram, puram et aëra secantem, per dimidium anni, et a Domin. *Palmarum* 1708. eadem, per integros quinque annos, priuatus fuit, donec Deus, linguae magister, linguam eius confirmauit, et vocem sonoram ei reddidit, adeo, vt a Festo Pentec. 1723. vsque ad finem illius anni, oracula diuina publice explicare potuerit. Sub initium anni 1724. denuo, per aliquod tempus, a concionandi munere cessare coactus est, sed a Domin. Inuocauit vsque ad 1736. sine vlla intermissione, bis singulis hebdomatibus concionatus est, integra loquendi facultate gauisus. Morbo deinceps eum infestante, obmutuit prorsus, et animam efflauit d. 10. Sept. 1736. Quoad vitam eius domesticam, sequentia veniunt notanda: Quum Torgauiæ adhuc esset, nuptias Dresdae celebrauit cum virgine *Dorothea Elisabetha*, M. *Christiani Hilscheri*, Pastoris et Inspectoris Waldheimensis relicta filia, qua defuncta, aliam vitae sociam d. 15. April. 1701. sibi adiunxit, videlicet virginem *Catharinam Reginam*, D. *Io. Bohmii*,



tunc Therapeut. Prof. P. filiam, ex *Hülsemannia* genitam. Ex huius liberis, nominari praesertim merentur: filius secundus, *Christianus*, Doctor quondam et Prof. extraord. Theol. et Pastor ad D. Nicolai, vir de ecclesia et Academia Lipsiensi immortaliter meritus, cuius ut praeceptoris mei nomen gratissima veneror mente, et filiae: *Catharina Regina*, *Io. Iac. Straubio*, mercatori Lipsiae inclyto in matrimonium collocata, *Ioanna Elisabetha*, S. V. D. *Friderico Schultzio*, tunc temporis Diacono ad aedem S. Wenceslai Numburg. nunc vero Superintendenti Cizensi, Consistoriique Assessori spectatissimo, nupta, et tandem *Dorothea Sophia*, quae maritum habuit *Io. Erhard. Kappium*, Eloqu. Professore P. in Academia Lipsiensi celebratissimum.

M. ADAMVS SEGNERVS *Pofonio - Hungarus*


Diac. II. Torgau. 1717. paullo post Pastor Siebenlebensis 1).

Pofonii, vbi circa 1686. natus est, in ecclesia Teutonica, verbi diuini egit praeconem. Sed aduersariorum instinctu officio et patria pulsus, terras Saxonicas petiit, et Dresdam d. 1. Nou. 1715. ingressus est. Attulit secum, ut S. V. D. *Loescherus*, in epistola quadam ad D. *Io. Christian. Buckium* data, notauit, litteras, quibus Senatus Pofoniensis *Segnero* notum fecit, se ex voluntate Cardinalis, cuius indignationem, concione festo Corporis Christi recitata, in se conuertisset, neces-

1) Quaedam ad viram eius spectantia attulit laud. *Dietmannus* l. c. p. 493. vbi tamen annotandum est, *Segnerum* non octo annos, sed tantum, vti ex litterarum quarundam subscriptione intellexi, per biennium, et quod excurrit, Pofonii ecclesiae euangelicae fuisse doctorem, eumque non Diaconum ad Sp. S. sed Diac. II. Torgaviae factum esse, quapropter T. IV. p. 753. Diaconis secundis re-
ctius adiungitur.

cesse habere, vt eum, ad declinanda maiora ecclesiae suae pericula, aegre tamen et inuite dimitterent, cui rei testimonio etiam fuerunt litterae, a concionatoribus quibusdam ex Hungaria Dresdam postmodum missae. Aulae et procerum gratia impetrata, litteris commendatiis S. V. *Pippingii* et *Loescheri* Torgauiam, vbi adhuc inueniuntur, scriptis, suffulciebatur; et commendatione Augustissimae Reginae CHRISTIANAE EBERHARDINAE, per Comitem a *Geyersberg* Senatui significata, eo res, reuentibus licet ab initio ciuibus, veniebat, vt, post concionem *δοκιμασικὴν*, Dom. Septuages. 1717. pronuntiatam, munus Diac. II. ipsi d. 5. Febr. impertiretur, quod etiam Dom. Miseric. Dom. fuit auspiciatus. Maxime autem dolendum est, eum et a doctrinae euangelicae puritate, et a castitate vitae Christianae, ingenti suo dedecore, et haud leui aliorum offensione valde aberrasse. A flagitio, cuius M. Sept. eiusdem anni accusabatur, anno sequenti purgavit se iuramento; attamen maculam famae aspersam penitus abstergere, aut sinistram de eo conceptam opinionem ex auditorum animis prorsus euellere haud potuit. Ne igitur ecclesia maius detrimentum caperet, Consistorium supremum Dresdense consultum duxit, *Segnerum* in alium transferre locum, id quod etiam effectum est, dum ille M. *Sam. Theod. Schmidio*, Pastori Siebenlehneni, loco ipsius d. 27. Febr. 1719. vocato, sufficeretur. Hoc in munere defectionem a puriori doctrina, quae Torgauiae iam aliquantisper se exeruerat 2), in concionibus suis magis magis-

2) Ephorus Torgau. D. *Buckius* d. 4. Oct. ad Consistorium Vitemb. retulit: *Segnerum* vocem personae, in doctrina de Deo et Christo, reiecit, refutationem Calvinistarum, intuitu particularis redemptionis Christi, improbasse, irrogenitis diuinam denegasse cognitionem, de libris nostris symbolicis contemptim fuisse loquutum. adeo, vt etiam in propugnandis peruersis suis sententiis, quamuis monitus, prae fracte perseueraret.



que palam prodidit. Sicut enim multis doctorum, partibus *Socini* addictorum, libris instructus erat: ita etiam haud paucos errores e *Socini* schola petitos, in potioribus fidei capitibus, de Trinitate, de Christo, de scriptura S. de sacramentis, de libero arbitrio, de fide, repudiata librorum nostrorum symbolicorum auctoritate, publice defendere haud erubuit 3). Eam ob causam 1731. reductus, et sequenti anno docendi facultate priuabatur; et quum correctionem detrectasset, et omnem futurae emendationis sefellisset spem, per Rescriptum Regium, d. 12. Ian. 1733. haec ipsi irrogata est poena, vt Pastoris munere se abdicaret, et intra duos menses terras Saxonicas linqueret. Postea in Hungariam reuersus diem obiit supremum.

MICHAEL SCHVLTZIVS *Boleslaviens.*


Diac. III. Torgau. 1539. - 1549. postea Pastor Creutzburgensis.

Ex Academia Vitembergensi, ad occupandum, post obitum M. *Buchneri*, Diaconi III. locum a Torgauensium Senatu arcesseretur 1). *Vir bonus et pius* salutatur a D. *Sommero* in Diario suo MSto, qui ibidem de aduersa, quam *Schultzius* Torgauiae expertus est, fortuna, sequentia narrat: *Dominus GABRIEL Past. Torgau. et Dominus MICHAEL publice in concio-*

- 3) Possem haec fusius edocere, quia mihi suppetunt Acta Fribergensia, ad Socinismum *Segneri* pertinentia; sed quum nimiam prolixitatem instituti ratio vetet, in aliud tempus illud differam.
- 1) In Albo Eccles. Vitemberg. antiquiori ab ao. 1537. - 1560. quod S. V. D. CAROL. GOTTLOB HOFMANNVS, praeceptor meus aeternum colendus, ab interitu liberavit, haec occurrunt verba: 1539. *Feria quarta Elisabeth per Dn. D. P. MICHAEL SCHVLTES von Buntzel aus dieser Vniuersität beruffen gen Torgau zum Prierambt.*

cione MAVRITIVM debortantur, ne quid caussa religionis suscipiat et mutet. Nam hoc si futurum fuerit, infinita mala sequerentur, praesertim si Caesaris et Papae gratia ista suscipiantur. Hoc postquam intellexisset MAVRITIVS, clam nocte utrumque capit, et Vitembergam captos ducit, et carceri includit. Praeter illud, quod Schultzius noster cum Didymo librum Augustanum, s. religionis formulam *Interim* dictam repudiauerit, iisque, qui illam adoptarent, idololatriam et veritatis obiecerit, euerfionem nihil prorsus commisit, quo muneris priuationem promeruerit. Senatus pariter atque populus Torgauensis beneuolentia et fauore illum omnino dignum iudicarunt. Senatus erga eum beneuolentia, circa abitum eius, luculentis se manifestauit indiciis 2); et populi fauor exinde satis potest cognosci, quod, post M. Salom. Winteri discessum, 1555. petierint, vt in eius locum surrogaretur, quod tamen a Principe, senatus populique prece abnuente, non potuit impetrari. Alio autem loco noster munus ecclesiasticum consequutus est, cuius rei testem excitare possum D. Sommerum,

- 2) Protoc. Senator. Torg. 1549. f. 47. sequentia exhibet: Freytags nach Chiliani, Her MICHEL SCHVLTES Caplan, der dieser Kirchen mit Gottes Wort eine lange Zeit treulich und fleissig gedienet hat, und ihme von U. G. H. befohlen, sich dieser Stadt u. Lande zu äussern u. des Predigtamts fürder alhier zu enthalten, u. also die Stadt räumen muß. Darauf hat er seinen christl. u. gütlichen Abschied vom Rathe genommen, u. sich auf das höchste aller erzeigten Wohlthaten bedancket, u. ist also mit guten Wissen von dieser Kirchen u. Stadt abgeschieden, und nachdem er ein Bürger alhier ist, wil ihm ein Rath auf seine Bitte das Bürgerrecht nachhalten. Et in Ration. Aerar. Eccl. Torg. 1549. haec leguntur: III. ff. Her MICHEL SCHVLTES Caplan, zu einer Verehrung und Abfertigung, nachdem er durch Anschaffen Hertzog Moritzen Cburf. seinen Abschied erlangt.



rum, qui l. c. p. 76. ita de eo scribit: MICHAEL cum DIDYMO e carcere liberatus, ab officio remotus, in exilium eo ipso die egressi carceris pulsus, ideoque hic cum tota familia se in Thuringiam recepit, ibi postea in Creutzburg Pastor est factus.

M. SALOMON WINTERVS *Grimmensis*,
 Diac. III. Torg. 1552. - 1555. dehinc *Concionator Aulicus*
Dresdensis 1).

Honestis parentibus Grimmae habitantibus 1526. prognatus, absolutis studiis scholasticis, Vitembergae in studium Theologicum diligenter incubuit, et ibidem 1548. d. 18. Sept. Philosophiae Magister renunciatus fuit. Ao. 1549. Schneebergam vocatus 2), primum Diaconus, mox Archidiaconus illius ecclesiae euasit. Tertio anno post ao. 1552. Schneebergam Torgauiam venit 3), ad suscipiendum Diac. III. officium, quo tamen per paucos modo annos functus est, quoniam Elector AVGVSTVS illum in Concionatorem Aulicum 1555. sibi adsciscibat 4). In grauiissimo hoc munere strenuum vitiorum se gessit
 repre-

- 1) Vitam M. Salomonis Winteri descripsit Gleichius in Annal. T. I. p. 84. - 88. Quanquam enim hic nullam de eo fecit mentionem, quod iste Diaconus fuerit Torgauiensis, illud tamen, vti ostendam, dubitatione caret.
- 2) Albo Eccles. Vitemb. antiquiori, quod iam allegaui, hoc insertum est: 1549 *Fer. IV. Alexii per Dom. D. Pom. M. SAL M. WINTER von Grym daselbst geprediget, beruffen auffn Schneeberg zum Priesteramt.*
- 3) Ita enim in Ration. Aer. Eccl. Torg. 1552. legitur: X. ff. LVII. gl. II. pf M. SALOM. WINTHERN Diac. von Schneebergk mit Weib Kindern Gesinde u. Hausgeräthe herunter zu führen.
- 4) Hoc extra omnem dubitationis aleam ponunt verba sequentia e Protoc. Senator. Torg. 1555. *Freytags nach Elisabeth. Nachdem Her M. SALOMON WINTHER auf gnedigst Erfordern U. G. H. acs*

reprehenforem, et posita formidine, indefesso labore summaque fide in id animum intendit, vt summi Numinis gloriam et auditorum, curae suae concreditorum, salutem promoveret. Praematura autem morte *Winterus*, anno aetatis tricesimo primo, 1557. d. 26. Aug. extinctus est. Epitaphium, quod in sempiternam eius memoriam poni curauit *D. Io. Naeuius*, legi potest in *Gleichio*, p. 86.

M. ERNESTVS COLBIVS *Fremdiswaldens.*

Diac. III. Torgau. 1628. - 1632. deinde Pastor Primarius Gubenaë, tandem Superint. Sorauiensis 1).

Pater eius eiusdem nominis, Lipsiensis, Pastor Fremdiswaldae 1597. et ab a. 1607. Pastor in oppido Mutzschen, nostrum d. 5. Iun. 1601. in lucem editum, priori in loco genuit. Priuata institutione praeparatus, in Alumnorum illustris scholae Prouincialis Grimmensis contubernium *Colbius* recipiebatur. Hoc relicto, in Academia Lipsiensi addiscendis Philosophiae et Theologiae disciplinis sedulo nauauit operam. Magister Philosophiae 1623. creatus, post aliquot annos, et quidem non, vt *Magnus* in Chronico vult, 1627. sed 1628. habita d. 27. Iul. concione *δοκιμαστικῆ*, Diac. III. officio Torgauiae fuit praefectus. De examine praeuio obseruari meretur, quod illud, extra ordinem, Lipsiae fuerit institutum, quoniam

D 2

The-

Churfürsten an seiner Churf. G. Hoff zu einem Hoffprediger sich mus begeben etc.

- 1) Potiora vitae eius momenta occurrunt in *Io. Sam. Magni Chronico Sorau. Lips. 1710. 4. edito p. 240. sq.* vbi tamen falso notatur, eum in oppido Mutzschen natum fuisse. Nam pater eius anno demum 1607. illuc Fremdiswaldâ venit; noster autem, *Magno* ipso fatente, 1601. lucem adspexit, quapropter non Mutzschen, sed Fremdiswalda pro loco eius natalitio haberi debet.



Theologi Vitemberg. cum Dresdensibus et Ienensibus d. 1. Sept. 1628. ad dirimendam *Rathmanni*, de verbi diuini efficacia, controuersiam, atque ad perficiendam et subscriptione muniendam *defensionem pupillae euangelicae*, ibi conuenerant 2); sicuti etiam ille, post examen, quod per duas horas in Theologorum illorum conuentu cum laude subiit, Lipsiae ad sacrum munus ritu Apostolico ordinatus fuit. Ecclesiae Torgauiensi abiturus valedixit d. 5. Aug. 1632. quo facto, munus Pastoris Primarii Gubenae aggressus est. Hoc autem 1650. rursus deposuit, postquam Superintendentis Sorauiensis provincia ipsi fuerat demandata. Spartam, quam nactus est, pro viribus maxima cum laude ornauit, vsque ad annum 1664. quo iterata, qua ante tres annos percussus fuerat, apoplexia d. 18. Febr. fato decessit 3). In funus eius M. *Amandus Cunradi* Archidiac. Guben. concionem in Matth. XI. 28. - 30. recitauit, cuius argumentum *Magnus* suo inseruit Chronico.

M. FRI-

2) Teste *Magno*, in Chronico p. 240. et *Sam. Grossero* in Lausitzischen Merckwürdt T. II. f. 83. De conuentu iplo confer *Gleichii* Annal. T. III. p. 113. et *Pippingii* Einleit. zu den symbol. Schriften, p. 139.

3) In templo parochiali Gubenensi, vti a M. *Sam. Erdm. Riepke*, Archidiac. Guben. meritissimo per litteras accepi, conspicitur imago *Colbii*, grandioris staturae, hac cum inscriptione: ADMODVM REVERENDVS AMPLISSIMVS ET EXCELLENTISSIMVS M. FRNESTVS COLBIVS, THEOLOGVS CELEBERRIMVS, NATVS A. MDCL. IN SS. MINISTERIO VIXIT XXXVI. ANNOS TORGAE GVBENAE ET SORAVIAE. OBIIT SVPERINTENDENS MERITISSIMVS D. XVIII FEBR. MDCLXIV. AETATIS SVAE LXIII. Commemoranda mihi quoque est concio, quam offendi, funebris, a *Colbio* nostro in Syndicum Gubenensem *Henn Grossium* 1649. 4. Palaeo-Sterini typis exscripta, sub titulo: Πληροφορία celeriter, sed beate morientium ex Rom. XIV. 8.

M. FRIDERICVS MÜLLERVS *Jessenensis*,
Diac. III. Torgau. 1738. deinde Archidiac. Weisensfelsensis,
postremo Pastor ad D. Nicol. Cizae 1748. 1)

Vitam debet D. *Augusto Müllero 2)*, Pastori tunc et Superintendententi *Jessenensi*, postea Praeposito et Superintendententi *Kembergensi*, et *Eleonorae Christianae Nitzschiae*, quae patrem habuit *Gregor. Nitzschium*, Comitem Palatinum *Caesareum*, et Principi *Holsatiae* atque Episcopo *Lubecensi* a consiliis intimioribus, ex quibus parentibus *Jessenae* d. 1. Dec. 1714. procreatus est. Pater eius in matrimonio antea habuit *Euphrosinam Mariam, Christiani Robrensee*, Moral. et Ciuil. Professoris P. in Academia *Vitemb.* filiam secundam, ex priori coniugio oriundam, quae vnicum ipsi genuit filium, *Augustum*, qui Pastoris officio *Marzahnae* cum laude fungitur. *Müllerus* noster in aedibus paternis praeceptoribus priuatis vsus, d. 7. Maii 1726. *Vitembergam* abiit, vbi a M. *Christiano Korgio*, et M. *Guilhelmo Ludou. Nitzschio*, priuatim adhuc instituebatur, vsque dum studiorum academicorum cursum posset ingredi. Audiuit postea, ad bonas artes, et disciplinas philosophicas ac theologicas addiscendas, doctores illius temporis celeberrimos, vbi quidem in aedibus S. V. D. *Wernsdorffii*, agnati sui celebratissimi, insignibus cumulatus fuit beneficiis. Postquam ao. 1730. Magisterii gradum assequutus erat, 1733. sub praesidio S. V. D. *Zeibichii* disputationem, *de usu S. coenae frequentiori*, habuit, quam 1736. alia, *de Politica Symbolica*, praeside *Haffio*, Moral. et Ciuil. Prof.

D 3


P. ha-

1) Praecipua vitae suae momenta ipse attulit in Albo Eccles. *Vitemb.* d. 26. Aug. 1738.

2) Vita eius cum tabula gentem *Mülleriam* repraesentanti, occurrit in *Dietmanni Sächf. Priest. T. IV. p. 371 - 375.*

P. habita, insequuta est, de quo argumento alteram dissertationem ipse conscripsit et defendit, respondente *Strobachio*. Facultatem docendi nactus, scholas aperuit philosophicas, et philologicas, atque Ebraeae linguae praecepta inprimis tradidit. Ao. 1738. ab amplissimo Torgauensium Senatu ad Diaconi III. officium, praeuio sermone *δοκιμασικῶ* d. 18. Aug. legitime vocabatur, et initium muneris, sub diuinis auspiciis, faciebat eodem mense. Huius officii partes, eo etiam tempore, quo binis vicibus Ephori munus vacaret, tanta sedulitate tantaque dexteritate obiit, vt omnium amorem fauoremque sibi acquireret. Laudes eius in extraneorum etiam ore versabantur, atque hinc accidit, vt ab amplissimo Senatu Weisenselsensi Archidiaconi muneri praeponeretur. Qua de causa Dom. VI. post Trin. 1745. orationem valedictoriam Torgauiae habuit, quae cum sermone *δοκιμασικῶ*, et auspicali Weisenselsae Dom. III. et VII. p. Trinit. recitato, Lipsiae 1746. typis euulgata est. Neque tamen Weisenselsae *Müllerus* permansit, sed ab illustri Dn. CAROLO GOTTLÖB a BURGSDORF Cancellario Cizensi excellentissimo, qui eius merita Weisenselsae perspexerat, commendatus, Pastor ad D. Nicolai Cizae 1748. M. Martio constitutus fuit, vbi autem, quod omnes boni vehementer doluerunt, praematura morte, colica haemorrhoidali ipsum inuadente, vitam finiuit. De ipsius coniugio sequentia adiciere iuuat. Nuptias ille celebrauit d. 20. Ian. 1739. cum virgine lectissima, *Margaretha Elisabetta*, D. Io. Kieslingii 3), Pastoris ad aedem mercator. Assessoris Collegii maioris, et Professoris LL. OO. Publ. Erfurtensis celeberrimi, filia natu minima, priuigna M. *Michaëlis Lindae*, Superintendentis Torgauensis laudatissimi, quae fra-


3) Eius vitam cum scriptis, et controuersia, quae ipsi cum Pontificiis Erfurti intercessit, lege in *Lexico Eruditorum*, et in *Dietmanni* l. c. T. II. p. 502. sqq.



fratres habet honoratissimos, D. Io. Rudolph. Kieslingium, Professorem Theol. Lipsiens. percelebrem, et D. Ioan. Polycarp. Kieslingium, Consulem et Physicum huius ciuitatis spectatissimum, cuius filio M. Io. Christiano, collega vtor amantissimo coniunctissimoque. Vidua Mulleri matrimonio iterum d. 13. Sept. 1757. iuncta est, M. Io. Dau. Steinmullero Superintendenti Martisburgensi et Consistorii Assessori meritissimo. Scripta illius iunctim recensentur in *Beyträgen zu denen Act. Historic. Eccl. T. I. p. 1118.*



His expositis, TE VIR CONSULTISSIME fautor et amice aestu-
matissime, hinc discedentem gratulationibus et votis profe-
quor. Mihi quidem, et bonis omnibus maximum iniicit dolo-
rem, quod Torgauia praesentia TVA honoratissima, consiliis
TVIS prudentissimis, incomparabili TVA in expediendis nego-
tiis agilitate, laudatissimo TVO aliis inseruendi studio, in hoc
praesertim turbulento ciuitatis statu, carere in posterum de-
beat. Sed quia Deo, cuius gubernationi omnium rerum et
officiorum quoque publicorum subsunt vicissitudines, ita vi-
sum fuit, decretum eius improbare, aut voluntati eius refragari
haud licet. Munus itaque nouum, cui administrando
animum iam appellis, ea qua decet obseruantia, TIBI gratulor,
atque ex animo opto, vt haec, quam nutu diuino excitatus
suscipis, mutatio in summi Numinis honorem, in inclytae
Reipublicae Lipsiensis commodum, et in TVVM TVORVMQVE
cedat emolumentum. Felicem, faustam fortunatamque illam
esse iubeat summus rerum Arbiter, vt votorum TVORVM ex
asse fias compos. Seruet TE Deus ter Optimus Maximus sal-
uum et incolumem, praestet TE factum rectumque, aspiret con-
siliis



filiis negotiisque tuis prosperos ac laetos successus, addat honoribus honores TIBI iam destinatos, edat in TE et familiam TVAM splendidissimam mihi que carissimam illustra providentiae, praesidii, et beneficentiae documenta, efficiatque benignissime, ut, pacatis tandem patriae bello valde disturbatae rebus, restitutoque Lipsiae haecenus mirum quantum diuexatae flore, omni felicitatis genere frui queas iucundissime.

Pag. i. l. 18. loco *septendecim* legi debet: *duodecim*, quoniam reliquum annorum spatium ad munus actuarii in Iudiciis Torgauensibus referendum est.



